Żyznowski Stanisław: Lessus funebris in obitum D. Lucae Dąbski, Can. Crac.

LESSVS FVNEBRIS
in obitum
Perillustris olim & Adm. Rndi Domini,
D. LVCÆ
De Lubraniec
DĄBSKI
Canonici Cracouiensis,
S. R. M. Secretarij.

Ad sepulchralem funeris luctuosi in Ecclesia Cathedrali Cracouiensi apparatum, officio pietatis & posthumæ memoriæ ergò

PER

M. STANISLAVM ZVZNOWSKI Phil: Doct:

CONCINNATVS.

Anno Christi M. DC. LXV. III. Nonas Martij.

CRACOVIÆ, *apud* SCHEDELIOS *S. R. M. Typogr.*



Dum adhuc ordirer succidit me, *Isaiæ 38.*

ILLVSTRIBVS ET MAGNIFICIS DD.

HYACINTHO CASTELLANO BECENSI IACOBO

DE LVBRANIEC

DĄBSKI VEXILLIFERO DVCATVS ZATORIENSIS,

Dominis Gratiosissimis Perennem Felicitatem.

Ouum genus scriptionis accidit, quod Vobis dedico Illustres & Magnifici Domini, vtinam non accidisset, hæc enim Metamorphosis quæ Vobis ex improuiso luctum attulit, imo cladem intulit, nunquam cogitationem meam subiit. Quis sperâsset ramum illum qui Pinum Vestram insigniter decorabat, vehementi procella casurum fuisse, scilicet Perillustr. & Adm. R. olim D. LVCAM DĄBSKI CANONICVM CRACO-

):(VIEN-

VIENSEM *Fratrem vestrum desideratissimum, quem si benigna seruauissent Fata, propter dignitatem, quam Perill Capitulum Cracouiense satis laudare deque eius obitu dolere non potest, Magnum Virum Ecclesia Dei ipsaque Respublica in decus & gloriam Domus Vestræ habuisset. Horrida res est, (imò si res est, quæ est pura priuatio) ipsaq; cogitatione tristissima Mors nullius cedit virtuti: cæca est, nescit discrimina, & latronis more quidquid obuium est diripit, iuxta maturos immaturosq; inuadit, eo solum nomine quia Mortales. In hoc nobis atrocem iniuriam infert quòd optima quæq; rapiat, pessima relinquat. Sed quia omnes in hanc necessitatem nascimur vt moriamur; temperate à lachrymis Illustres Domini, ac æterni Numinis voluntati defunctum concedite. Faxint Superi vt Vobis hanc calamitatem ingenti solatio compensent, meq; ad lætiora Vobis consecranda accomodent.*

Illustrium & Magnificarum DD. VV.

Exorator & Seruus humilis

STANISLAVS ZYZNOWSKI.

LES-

FEcissent Superi ô Illustre Lumen LVCAS enim es, & fuisti, luceres in æuum inclytæ Domui Tuæ, luceres dolentissimæ Matri, Fratribus mœstissimis, percharis Amicis, qui Te omnes, velut nouam de mane lucem auidè semper intuebantur; Tu verò præpostero quodam ordine ad Hesperios & occasum abiisti. Venustam Te adhuc dixerim ex stemmate plantam, quæ cum in peraugusto Cracouiensi Capitulo, acsi plantario quodam florentissimo, in pulcherrimo ætatis flore, fructuum præstantia clarescere cœperas, inopino quodam fato securis admota, spem & vota omnium in Te succidit. O mira lex Necessitatis, quod te vnquam ingenium comprehendere potuit? vel tibi ad ætatis, status, & dignitatis discrimen limites ponere, vel vti indiscretam rescindere? si quis rationem exigat, iubes non disputas, ita quòd nullum sit aduersus te consilium. Hæc est imbecillitas humanæ conditionis, vt cum interituram se publi-

co æternitatis decreto nouerit, quando mi. grandum de vita, ignoret, æſtate an hyeme, in ariſta vel in culmo; ea in re tangere illos ignes cæleſtes, quiſquis curioſus es liqueſces. Vt papiliones & minuta quædam animalcula veſpere lumen circumuolitant, nec illud capere poſsunt imò amburuntur: ſic humanus intellectus luce doctrinæ illuminatus non pertingit ad ea, quæ lex ſuprema decreuit. Nec tantopere dolendum eſt homini ex hac lùcis breui vſura, in lucem æternitatis tranſire. Pauci ſunt dies, quibus ſine nebulis cælum aſpicimus, longè pauciores horæ, quibus ſine curis viuimus. Velim ſcire, quid à mundo petant mundani? cum intelligant, quod ſit improbus captator, doloſus impoſtor, callidus veterator, blanda ſpe multos decipit. Si vitam agimus, hæc eſt fallax & vmbratica, plena laqueis mortis; ſi lætitiam deſideramus, omnia dulcia breui temporis momento amareſcunt, & extrema gaudij luctus occupat. Si ſanitatem diuturnam præſtolamur, vt ſimus

longæ-

longæui, plures morbos quibus affligimur, quam annos quos viuimus, numeramus. Si quietem & tranquillitatem exoptamus, propter turbam ærumnarum, quæ in dies augentur, mundus est calamitatis hospitium, taberna rixarum. Corde igitur & lachrymis prosequamur quem amisimus, sed non indignemur, quod scientissimus ille cultor Deus, ex hoc vasto mundi agro, hanc arborem præmaturè transferre decreuerit, quam amœnissimo beatorum paradiso inseruit, propter virtutes cælo maturas, quas hìc lugubri calamo in contestationem doloris breuibus perstringere affectus persuasit.

Splendorem Familiæ & gloriam Maiorum factis heroicis & virtutibus, siue per Gradiui stadium, siue per Sellas Curules à multis temporibus propagatam descripsêre decora ingenia, partim in peruetustis annalibus, partim in suis encomijs disertorum calami; mihi interim inter luctum & dolorem commoranti recentiorum temporum materies sufficiet. Nulla ætas

la ætas fuit tam ſterilis, vt hoc inſigne Genus LVBRANSCIORVM, quod Pinum euulſam propter robur validum ſui Progenitoris in Arma accepit, nouos huic Regno ſurculos non ederet, quos vel in Sago vel in Toga magnos recitare poſsis. Creuit in immenſum ſubſequentibus ſæculis hæc arbor in ſuis germinibus fæcunda, ſicut illa in Fortunatis Inſulis, quæ teſte Plinio in tantam altitudinem aſcendiſſe fertur, vt centum quadraginta quatuor pedes excederet. Sexcentos hìc numerare poſsem viros, quos bellica virtus, excelſus in arduis animus, labor indefeſsus, conſtantia inuicta, Regum veneratio, amor patriæ, non modò in altum ſublimauerunt, verùm etiam Faſtis immortalitatis inſcripſerunt. Quis non videt hanc gloriam Maiorum relucere in his qui ſuperſunt excelſæ virtutis Nepotibus, vt alios prætercam, Illuſtr: & Magnificus D. HYACINTHVS DĄBSKI CASTELLANVS BECENSIS & Magnificus D. IACOBVS VEXILLIFER Ducatus Zatorienſis, ſatis mihi illuſtre

porri-

porrigunt documentum, quibus nihil vnquam maius ac diuinius viſum, quàm æternitati famæ nomen inſerere. Non aliter certam manſuræ gloriæ ſpem ſibi promittunt, quàm ſi non otij dulcedine, ſed vi armorum atque geſtis fortium illuſtriores euadant. Nec mirum videri debet, quod alter, ardore virtutis non ita pridem ex Conarienſi in Becenſem Caſtellanatum aſcenderit, alter ardua quæuis & glorioſa attentat, vt maiorem ſibi ſuæque proſapiæ honorem adferat. Verùm ſi quis Illuſtr: & Magnifici D. Caſtellani Becenſis dignitatem altiori mentis trutinâ perpenderit, abſque vllo verborum lenocinio, loquetur palam meritò eundem ad Senatoriam purpuram vocatum fuiſse, in quo formatos ad honeſtatem mores, grauitatem ſine faſtu, ſine ſuſpicione modeſtiam animi, candorem ſine fuco, mentem apertam & neſciam ſimulandi, recognoſcet: & quàm pius in Deum, religioſus in ſuperos, quanta in amicos fide, in omnes humanitate, omnibus perſpicuum eſt. Acceſ-

ſerat

ſerat illi non parua lux experientiæ & ſingularis prudentiæ, dum aliquot annos Vladiſlao IV. Rege feliciſsimo, negotijs Reipublicæ intentus, ſtatum rerum ſolerti ingenio perſpexerit; vbi tunc ex confluxu multarum Legationum Aula Regia Orbis compendium fuit. Porrò MAGNIFICVS DOMINVS VEXILLIFER Zatorienſis, cupiditate gloriæ inflammatus è Muſis Academicis ad Martem rectà decurrit ingens virium & animi. Suſtinuit pondus diei & noctis, æſtus & frigoris patiens, in gelidis illis Vkraynæ partibus, inediæ, vigiliarum, inclementiæ cæli, periculorumque tolerantiſsimus, inter belli fragores & tonitrua heroicus, animum ſeria & alta meditantem, temperantia, conſtantia, fortitudine, per tot experimenta bellica firmauit. Vbi iam duriſsimis illis cruentæ Bellonæ adoleuiſſet laboribus, ad negotia Reipublicæ ſtudium ſeriò applicauit. Non ſubtrahunt eum curæ domeſticæ, vel commoda priuata ab officio Boni Ciuis Patriæ, qui ſicut ad expeditiones bellicas

pro

pro ſalute Patriæ, ſuæ ſalutis ac fortunarum prodigus fuit; ſic deinceps pro ſanandis Reipublicæ vulneribus ac proſpiciendis commodis, quando neceſsitas poſtulat nullam occaſionem intermittit. Siue in Comitijs generalibus, ſiue in particularibus dexteritate in agendo, prudentia in conſilijs eximius eſt, comis, humanus & liberalis: quemadmodum & in Commiſsione Generali Leopolienſi in tàm arduo negotio probauit genij ac ingenij dignitatem. Inuidiam virtutis comitem habet, ſed eam inter titulos numerat, & obſtrepentes zelotyporum linguas magnitudine animi calcat, atque per omnem ocaſionem curſum gloriæ peragit. Ita ſanè præſtat inuidioſum eſſe, quàm miſerabilem. Progredior iam ad Te ſed cum ſingultu & lachrymis illuſtre lumen Perilluſtris & Admodum R*n*de LVCA de Lubraniec DĄBSKI, Canonice Cracouienſis, dabis veniam quòd longiùs à propoſito digreſsus, Illuſtrium Fratrum argumento laudem virtutum Tuarum diutius æquo remo-

ratus sum. Persimilis illi fui, qui frigoris asperitatē calore fornacis naturæ amico, differt in moram, licet abire vrgeat necessitas, sic me laus Illustrium Fratrum Tuorum aliquantisper præoccupauit, ne me ex abrupto horror mortis inuadat; ideo non festinaui in laudem virtutum Tuarum, quas in viuo suspexi in mortuo vitam desidero. Quem enim horror mortis non terret, cum sit omnium terribilium terribilissima. Fingant sibi damnati ad mortem, in suprema vitæ hora mentem quasi non perturbatam, ostentantes eandem pulchra & serenâ facie; reuerà paradoxum apud me est, habitare simul mentem serenam, vbi manet luridæ mortis imago. O Fatum crudele, ita virtutis eius non fers lucem, cuius occasum nemo vellet? ita nunquam perennare sinis, quod extingui nunquam deberet. Quemadmodum Titus Vespasianus amor Orbis fuit appellatus, similiter Perillustris Canonicus, propter mirabilem gratiam dono naturæ sibi inditam, omnium oculos & animum

rapie-

rapiebat, vt merito amor hominum diceretur. Quis ille est quicunque eius notitiam habuit, vt de insperato obitu dolorem in corde non sentiat; vel qui cum eo dulci fruebatur conuersatione, grauiter non ingemiscat. Maior pars hominum hac in vrbe mœrore inundat, quocunque me vertam omnes dolent, omnes celerem mortem conqueruntur. Et hæc est beatitudo hominis Christiani, post mortem ab omnibus desiderari. Statim in puero omnes propè animi opes cernebantur, qualis ac quantus Vir futurus erat; studia adolescentiæ significabant, quæ virtutis maturitas futura esset. Expedito cum summa laude, ac Præceptorum honore studiorum cursu in Vniuersitate Cracouiensi, vbi literarum ac pietatis vberrimam sibi comparauerat segetem; vastus ille animus vniuersi pulchritudine captus, æmulo Vlysis impetu, susceperat ad exteros peregrinationem Romæ aliquot annos in studio Iurisprudentiæ & aliarum scientiarum commoratus, rediјt magno cum prouentu

laudis & existimationis, Germanicæ, Italicæ linguæ peritissimus. Improbant nonnulli nostris Polonis exoticas terras, quòd passim cum corruptis moribus redeant, præsumptionem, pestem ingeniorum, quæ est primus gradus ad stultitiam aduehunt secum; mihi verò in piè defuncto profectus placuit. Cælum tantummodo mutauerat non animum: cum modestia è solo patrio discesserat, cum altiori adhuc reuersus non iactabat suam scientiam, sed resumpsit animum ad perficiendum Iuris Canonici studium, Geometriæ, Perspectiuæ non ignauam impendit operam, vtilia didicit, vt in statu suo quem elegerat Sacerdotij vsui se Capituli Crac. Coadiutor Patrui factus, accomodaret. Alta suâ indole pulcherrimis ornata dotibus, traxerat in sui amorem Illustrissimum & Reuerendiss: Ducem CZARTORYSKI Episcopum illo tempore Posnanień: ad præsens verò Vladislauien: cuius lateri adhærendo, spiritualibus exercitijs seriò incubuit, vitam B Philippi Nerei ex Italico idiomate in Polo-

Polonicum mira ſuauitate vertit, ibidemq́uē ceu in Palæſtra omnis Virtutis ac Pietatis quoad animam inſigniter profecit. Surgenti ad altiora animo, præbuit ſe occaſio tranſeundi ad Aulam Regiam. Suſcepit grato animo patrocinium Illuſtriſsimi & Reuerendiſsimi Domini ANDREÆ TRZEBICKI protunc Vice-Cancellarij, poſt ſupremi Cancellarij Epiſcopi Præmiſlien: moderni Cracouien: Ducis Seueriæ (quem Deus ſeruet nobis diu incolumem) hunc non modò Patronum, ſed Benefactorem per aliquot annos expertus eſt ſingularem. Tum demum celebrem per multa experimenta acquiſiuit prudentiam, vbi totius Reipublicæ negotia pertractantur, conſilia, tranſactiones cum diuerſis Gentibus expediuntur, Iudicia ex vniuerſis Regni Ciuitatibus & prouincijs, quorum ille inter præcipuos Aſſeſsor fuit, celebrantur. Hæc erant iuuentutis ſuæ exercitia hæc oblectamenta. Quis putas, quantùm illud amœnum ac ſolers ingenium profecerit? quantus vir euaſisſet

ſet

ſet conſilij, ſi per benigna fata ſuperuixiſſet. Tribuit hanc ipſi adoream inclytũ Capitulum Cracouien: quomodo res difficillimas facili negotio reſoluerit, quomodo obuiandum incommodis prouidè conſuluit. Commendant eius dexteritatem tot peracta negotia, commendant Commiſsiones, ipſum Regni Tribunal Lublinen: cum functionem Deputati obiret, in danda ſententia palmam ipſi tribuit, vbi pro honore Capituli glorioſus ſtetit. Ad Conuentum Proſſouicien: prouinciam Nuncij cum nouiſsimè ſuſcepiſset, inuiſa fata viam præcluſerunt, vi morbi immiſſa quæ illum ſuppreſsit. Nec poterat Fati immanitas maiorem inferre acerbitatem Perilluſtri Capitulo, quam cum vota & expectationem illius de Cõfratris vita diuturniori eluſit, cuius operâ ad Actus publicos frequenter vtebatur. Comitatem eius, candorem, humanitatem, liberalitatem, temperantiam, pietatem, quis ſatis luculenta oratione explicauerit? His virtutibus ille floruit, his pe-

ctora

ctora hominum demulſit, his, verbis dicam triumphauit. Candorem eius optimè refert arbor illa in noua Hiſpania, ex qua ramo exciſo lac effluit dulciſsimum. Quis non nouerat, è pectore ipſius cuiuis aperto lacteum candorem ſemper emanauiſſe, per quem ingentem ſibi fauorem conciliauerat animos deuinciebat. Comitatem morum cum humanitate coniunctam habuit: has ille virtutes quæ maxime Viros illuſtres decent ex profeſso coluit. In vmbrione inſula, tradit Ouetanus Hiſtoricus, nullum prorſus aquæ genus exiſtere, cum nec fluuij nec ſcaturigines puteiue vlli ſint, neque ibi vnquam pluere ſicut in Ægypto: at Dei beneficio arbor talis repetitur, quæ exũdat plurimo quaſi rore tũ à ramis ſtipite ac folijs non aliter atq; ſi nebula in aquas ſolueretur. Arbor fructifera inſignis iſtius Familiæ, hanc habet gloriam à primordiis ſuis, quod ſit veluti fons perenni lympha ſcaturiens, in plures diffusa riuulos ex quibus incredibilis humanitas atque beneficentia

proma-

promanat in omnes quos virtus commendat Fuit toto vitæ curriculo humaniſsimus noſter ille Patronus, vt vbi pedem fixiſſet, nouum vbiq́ue theatrum laudis ex humanitate quæſiuit. Laudant humanitatem eius homines egregij, reprehendunt parci & ſordidi; tabeſcunt hi & eſuriunt, inhiantes accumulandis nulliꝰ frugi diuitijs, quorum peribit memoria cum ſonitu; ille verò viuit in animis hominum, viuetq́ue in pectoribus amicorum. Laudant & extollunt liberalitatem Religioſi, opes & egeni munificentiam, quibus largas erogabat eleemoſynas. Ipſi inopes & ſubditi ſatis de amiſſo benefactore dolere non poſſunt: his etenim in laboribus & cenſibus paternè indulgebat. Hoc fortaſſe inculcabat, quòd exactionibus rigidis, veluti ſectione venæ & ſanguinis emiſsione ſubditi conſumuntur & deficiunt. Temperantiam quæ eſt pulcherrima virtutum, ore probo, animo verecundo explicabat Hanc in dictis & factis veluti regulam certam diligenter obſeruauit

per

per hanc cupiditatibus restitit, per hanc Rex suorum affectuum fuit, per hanc honesti peruicax, cultu modicus sermone cautus extitit: cum benè nouerit, nihil tàm cognatum sapientiæ quàm locis & temporibus sermones aptare. Pietatem quæ est vitæ Sacerdotalis lumen, non superficietenus ostentabat, sed in præcordijs altissimè fouebat. Quid prodest, esse specie probum, animo inuerecundum tũdere pect⁹ corã hominib⁹, & struere proximo in corde insidias Nihil valet talis pietas, quã reprobat conscientia, & commendat vulgi opinio, estq; summa infelicitas, præclaram apud homines habere existimationem & Deum offensum in corde. Hanc ille Hypocrisin quam ipse Christus odio habet cum præmonet, vt attendamus à falsis Prophetis, longè fugiebat; cum esset animo purus, corde sincerus. Satis est respondisse vocationi suæ, quam vt oculum delicatissimum in corpore humano membrum, sedula curâ custodiebat; cum sciret vigilare semper diuinum oculum conni-

uereq; dum illum homines censent dormire. Non opus est trahere in partem sinistram honesta eius conuiuia, quæ per interualla temporum accidebant; hæc enim exercitia erant incredibilis eius hospitalitatis, quam ipse Christus exemplo vitæ suæ docuit: ille cum esset pro candore niueo, verbo absit inuidia, bonorum amicorum beneficum Sydus, nefas esse duxit, subtrahere se ipsis dum illum sponte cõuenirent. Doceatme improbus Censor, quomodo ex nullius frui homine, nobilitas intelligi potest? qui potius naturã bruti habet quàm hominis, dum se hominib⁹ non communicat. Non aufert Sacerdotium hilaritatẽ ab homine, per quam suaues amicitiæ contrahuntur, modò cum moderamine inculpatæ vitæ trãsigatur. Sed quæ cum iniquo vexatore ratio? cui vitæ probæ laudatio, vt Scarabæo rosa mors est. Nonne spectauimus piè defuncti Sacerdotis, cum Religiosis Viris & cum domesticis Sacerdotibus vitæ consuetudinem, frequẽtem tremendi Sacrificij celebrationem, in absoluen-

ſoluendis precibus attentionem, imitandam inEccleſia Dei deuotionem, in promouendo cultu diuino ardorem,aliaq; pietatis ſpecimina quis ſufficienter enarrare poteſt: aut arcanam ipſi9 cum Deo mentem indagare? Expediebat multa ſpiritus feruentis exercitia, vtpotè mortificationes varias in pænitentiæ remedium, ſed in conclaui, ne vanæ oſtentationis defectu notaretur. Ieiuniorum frequentiam, Quadrageſimæ rigidam obſeruantiam in eo laudauimus, qui hoc tempore ſalutis & ſub Aduentum Chriſti vſu vini abſtinuit. SSmi Roſarij, Scapularis, S. Franciſci & aliarum Confraternitatum officia quibus nomen dederat, obſeruanter habuit. Mors ſola fatetur, quæ & qualis vitæ probitas fuerit, quæ conſcientiæ ſecuritas, dum mortem quaſi natalem diem lætus expectauit, dum ſuauia colloquia cum Perill. & Rñdiſs. D. Suffraganeo & Perill: DD Canonicis Confratribus ſuis ſupremo die, ſine vlla perturbatione animi habuerit. Sacram Synaxin cum ſumma veneratione receperit, act9

amoris diuini benè contritus elicuerit. Effecit hoc peculiaris Deiparæ Virginis cultꝰ, quā vitæ ſuæ Cynoſuram elegerat, hanc ſuprema vitæ horâ Fauentiſsimā Patronam expertus; quando præuia diſpoſitione eiuſmodi, veſpere breuiſsimæ moræ agonem blando mortis ſomno finiuit. O verè ars artium ſcientia ſcientiarū! ſic mori non mori eſt, ſed nouo nouæ lucis oriri mundo; ſic mori, non eſt perdere lucem ſed ſecuriorem ſortiri. Amplectamur hîc auream D. Anſelmi ſententiam: qui ad MARIAM inquit *Supplex acceſſerit impoßibile eſt vt pereat.* Perilluſtris olim D. Canonicus toto vitæ ſuæ curſu, fideliſsime & ardenter iſti Clementiſsimæ inſeruiebat Dominæ, quando ſingulis annis ad imaginem eius Częſtochou. reuerenter accedebat, vota reddebat; vbi etiam Presbyter factus ad aram eius primum Sacrificium Miſſæ, magna cum ſolemnitate celebrauit. Quamobrem ſpem indubiam concipimus, quòd hæc Virgo Matrem ſe illi poſt receſſum à Nobis monſtrauit, errata iuuentutis copioſa

chari-

charitate cooperuit, illumque dulcissimo Filio à quo repulsam sustinere non potest reconciliauit. O Mater salutis fac quod optamus, Inuentrix gratiæ præsta quod petimus, vt is Tuus vilissimus Cliens, quem cum lachrymis tumulamus, in illa beatorum sede æterna fruatur felicitate: quoniam Tu sola hæc verba protulisti. Qui me inuenerit inueniet vitam & hauriet salutem à Domino.